



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Primum. Lucius III. a Paduano Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

CAPUT PRIMUM.

Lucius III, ^a *Paduano Episcopo.*

Intelleximus ex litteris tuis, quod cum causa, quæ inter dilectos filios nostros Priorem sancti Cypriani Deven. & clericos de Rodigo vertitur super Capella, quæ in præjudicium baptismalis Ecclesiæ de Costa, ab eisdem clericis est constructa, f. t. delegata fuisset sine canonico terminanda, partibus ad tuam præsentiam convocatis, per testes tibi sufficienter innotuit, quod præfata Ecclesia de Rodigo eandem Capellam post appellationem ad nos factam, & denunciationem novi operis ædificare cœperat: & ob hoc præfatus Prior in iudicio postulabat, quidquid in sæpèdicta Capella post appellationem ad nos factam, & post denunciationem novi operis factam primitus fuerat, demoliri. Super quo discretioni tuæ dubium videbatur, utrum ad hoc canonico procedi posset iudicio, & cum nihil de nunciatione novi operis sit in canonibus definitum, Sedem duxisti Apost. consulendam. Quia verò sicut humanæ leges non ^b dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum priorum Principum constitutionibus adjuvantur: f. t. præsentibus respondemus, quod diligenter considerans, quod post denunciationem novi operis, sive iure, sive injuria aliquid constituitur, de legalibus debet constitutionibus demoliri: & quia nulla Ecclesia in præjudicium alterius debet constitui, ascitis tibi viris prudentibus negotium ipsum secundum canonum, & legum statuta, ap. rem. non differas terminare. Nam cum te credamus in utroque iure peritum, securius duximus causam per tuam sollicitudinem terminari, qui per dicta partium, & terminos, & fines locorum plenius poteris cognoscere veritatem, quam aliquid à nobis ignorantibus qualitatem negotii diffiniri.

NOTÆ.

1. ^a *Paduano.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de Eccles. edific. cap. 4.* De diœcesi Paduana nonnulla adduxi in *cap. 7. de iudiciis.*
2. ^b *Dedignantur.*] Novella 83. & 131. Justiniani, l. *sacru* 45. *Cod. de Episc. & cler.* quod etiam usurpavit Pontifex in *cap. clerici 8. de iudiciis, cap. ult. de secund. nupt. cap. 1. de jur. calum. cap. Nicana 12. 31. dist.* & sæpe sacri canones profitentur, se non respuere legum sæcularium tamulatum, *cap. super specula 28. de privil.* & sic statuta canonum constitutionibus Principum adjuvantur, atque secundum regulas juris civilis ec-

clesiasticæ quoque controversiæ terminantur, si canonibus non opponantur, & ipsi deficiant, *cap. 1. cap. fin. audistorium, dist. 20.* unde in præfati tractatu de novi operis nunciatione, quia nulli sunt sacri canones, in quibus statutus servandum in hac parte in causis ecclesiasticis: idè tam Lucius III. in præfati, quàm Innocentius, Honorius, & Gregorius in decretalibus sub hoc titulo compilatis tantum observare jubent leges sæculares. Quando verò deficiente canone recurrendum sit ad jus civile, vel partium, seu è contra, exponunt congesti à Barbofa in præfati, & Canilius in *cap. 1. de constit. & in tract. de differ. utriusque jur. in princ. Mancinus sac. jur. dist. 34.*

CAPUT II.

Innocent. III, ^a *Cansuariensi Archiepiscopo.*

Cum de injuncto nobis Apostolatus officio locum ejus (licet immeriti) teneamus, qui juxta verbum propheticum liberavit pauperem à potente, & inopè, cui non erat adjutor; diligenti studio satagere nos oportet, ne minores à majoribus opprimamur: sed